

Q. K. 122, 32.

(X 2000 297)

Ya  
202

LAUDATIO  
IN  
**ALTENBURGUM,**

URBEM MISNIAE CLARISSIMAM;  
ADFACTA TAMEN MAGIS, QVAM PERFECTA;

CUI ADNATAE  
**GRATIAE,**

MAECENATIBUS PRAECEPTORIBUSQVE  
MORE MAJORUM PERSOLUTAE.

CONTEXUIT,  
PAEDAGOGIOQVE PATRIO VALEDICENS,

SALANUM ADITURUS HELICONA,

A. D. V. M. IXBRIS

A. O. R.

clō Is cllil.

PUBLICITUS DECANTAVIT

**ISRAEL CLAUDERUS,**

ALTENBURGO - MISNUS,  
EJUSDEM HACTENUS ALUMNUS.





VIRIS  
AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMO  
PRUDENTISSIMIS,  
DNN. COS. ET EXCOSS.  
SYNDICO, CAETERISQVE  
INCLUTAE  
ALTENBURGENSIUM  
REIP.  
SENATORIBUS LECTISSIMIS,  
DOMINIS MEIS ATQVE MAECENATIBUS  
JUGI CULTIONE MACTANDIS;  
QVIDQVID ISTUD EST  
CHARTEI MUNUSCULI,  
MEAE FIDEI OBSERVANTIAEQVE  
TESSERAM  
STRENAE VICEM,  
QVIA ALIUD NECDUM POTUI,  
LAETUS-LUBENS  
DO, DICO, DEDICO  
ISRAEL CLAUDERUS,  
ALTENBURGENSIS,







ΘΕΟC ! ΘΕΟC !



Ic est: dives alit vix Africa terra cuculò  
fœdius ingrato monstrum, cui munera prorsus  
relligio non est malè- gratò perdere rostrò:  
hic procul, ô procul hic nostris fugitivus ab oris  
exsulet: in nobis magni sit maxima, fas est,

Exordium.

Semper apud memores benefacti gratia mentes,  
Si verò fuerit, grates cui jure sonarem,  
tu patriò fueris Urbs florentissima coelò,  
nomen ab ANTIQVO cui cesit nobile PYRGO.

Salve lecta mihi, cultissima Patria Salve!

Tu mihi, nam fateor, canabula prima patritis  
indulgens gremiis genitalia rura dedisti:

Tu quoque primitias teneræ, sub origine, Musæ,  
ordiaque Studiis tribuisti sedula nostris,

hactenus & victus auctu locuplete beasti,  
ac benefactorum maclasti dotibus amplis.

Isthæc dum gratâ devotus mente revolve,  
altiùs & mecum tot tantaque dona recordor,  
ordior hinc meritò meritæ præconia laudis;

in Te nam Pietas, mea mens, Tibi debita soli,  
huc adigunt: memori quoniam sub pectore fixum  
immortale sedet meritum, quo me Tibi servas  
devinctum, Studii cursu gravioris omisso,  
ut resonem laudes, annis melioribus aptas:

Talia dum meditor tenui pertexere versu,  
Phæbe vale! non heic Vatum figmenta priorum,  
non aliis lassata precabor numina, Musas,  
non volucrem Tegees numeris hortabor alumnum,  
non Dirces: alium poicunt meæ carmina Divum:

Invocatio.

CHRISTE veni, viresque Tuas, animumque benignum

Suffice, propositoque fave: da carmina tantò  
digna locò, nostris audacibus annue coeptis:

Tu, precor, illarum memores penetralia rerum,  
summe Pater; castæ præter Tua Numina Musæ  
numina nulla colunt; Tu me Tibi dicere grata

A 2

fac;





*Attentionis  
petitio.*

fac; duce Te saluum mea sic premet anchora portum!

Et vos, ingenti quos cœli ad sidera curru  
vitrea fama vehens toti deprædicat Orbi,  
quos Sion, Numenque Dices, & Hygeia ministros,  
ac Sophie gremio fovet & complectitur almô,  
Patroni magni, Genitor bone, Frater honore,  
Adfines culti, Præceptoresque verendi,  
hujus Athenæi nitidissima lumina, quorum  
nomen olorinis subvexit in æthera bigis,  
& templo fixit victuræ gloria famæ;  
Hos ego submissi venerorque coloque recessu  
pectoris, ac memet scio queis debere meipsum:  
adspirate leves velis abeuntibus auras,  
atque, quibus cordi Patrii non-parva Lycæi  
gloria, perveteris quos tangunt Arcis honores,  
subtrahitote parum mentes à mole laborum,  
& patulas aures indulgetote canenti.  
Vos verò, quibus argutò Dea Dædala Pallas  
pollice format adhuc pectus, totumque subinde  
nititur ornatu doctrinæ fingere pulcrò,  
auribus aucupium vacuis huc ferte, nec ulla  
perturbent telam præsentia faminis orsa!

*Tractatio.*

Prædictum satis est, & Vos attenditis æquis  
auribus, ut video. Nunc, quod DEUS adjuvet! ipsum  
adgrediemur opus: verum, quo fine quiescam,  
unde vel incipiam titubanti carminis ausu  
in tanto rerum numero? de carcere Musa  
vix mea Pimpleo sinuosis percita curis  
invenit, ac animum nunc huc, nunc surripit illuc,  
namque ferenti oculos circum vagus æquore campus  
se tollit, rerumque novus mihi nascitur ordo.

*Urbis nostræ  
l. Antiqui-  
tas.*

Forſan aberro minus, breviter si profero primùm  
Antiquos Ortus, & retrò secula lapsa  
materiæ repetens nostræ nitidi usque videnda  
providus ad Solis vibrantia lumina pono.  
Quamvis, eximâ quod pectoris æde dolendum,  
vel carpenda nimis Proavorum incuria, sævi  
Mulciberisve furor, rabies vesana Gradivi,

invida



invida Fatorum series, vel cana vetustas  
ævi, consumens ferrum, lapidisqve Colosfos,  
nobis sustulerint signantes tempora fastos,  
Annales privos, prisca memorataqve Secli,  
qveis de vix tenuis se nominis aura tuetur:  
nil tamen hoc laudi nostratis derogat Urbis,  
qvin potiùs magis atqve magis deprædicat illam;  
qvippe vetustatis decorent qvam pondera tantæ,  
omnia ut Historicæ sileant oracla catervæ,  
antiqvo vanè nec sese nomine jactet.

Terrigenùm titulis hinc incola turba decoris  
jure superbiret meritò, auratasqve cicadas  
vertice gestaret, Secli monumenta vetusti;  
qvod Pandionias, Græcorum lumen, Athenas  
consvēvisse docet veneranda modestia famæ.  
Immò, qvis negitet, non observâsse Priores?  
Sublimi siqvīdem paganica Nympha coronâ,  
optatos hodieqve tori dum tentat honores  
concelebrare decens, Hymenëia gaudia gaudens,  
altum exædificat caput, & prægestit, adhærens  
multa cui resonat pretii non lingvula vilis:  
huic qvondam, dubiò qvovis procul, æqva cicadæ  
forma fuit, dehinc Hornò, tanqvam ὄρνιθες, inde vocata;  
dextra sed artificis solers, qvò parceret æqvæ  
temporis impensæ nimii, fugeretqve laboris  
immodici senium, nostrò nunc tempore tali  
effigiat planâ nimis informiqve figurâ.

Conditor ignotus premitur jam nocte silenti:  
non procul è gelidis exurgens fontibus arva  
inter opima susurranti fluit agmine *plisfa*;  
hinc *pleisfenburgi* meruit cognomina prisca:  
post *Cauritani*, gens aspera, vivida bellò,  
stemmatis à rigidis primordia ducere *Cauris*,  
qvos antiqva fides voluit, coluisse feruntur:  
nobilis Imperii Comitatus floruit inde,  
Auceps *Henricus* dum majestate tremendus  
Cæsariâ rerum potitur sceptròqve potente;  
qvi velut aucupio primos transegerat annos,

A 3

penni-

Thucydides  
Libro I.  
V. Matth.  
Martinius Leo  
xicò Philo-  
log. p. 452.





A. C. 922.

pennigeras captans acies volucremque catervam,  
Sic deinde Hunniacas cepit cum laude phalanges,  
hostibus & victis populo fuit utilis auceps:  
cervicem Imperio tandem subtraxit, avitum  
excussitque jugum, numerosa impendia propter  
& sumtus grandes, modo quos conflaverat, istud:

A. C. 1315.

*Saxonica* inde fuit translata ad germina *Ruta*,  
dexteritate *Ducis*, nulli virtute secundi,  
nomen ab *admorsâ* repetita ter oscula *Matris*  
cui tribuere *genâ* Patriæ bene-fortis *Achillis*,  
*Cæsarias* qui sæpè *Aquilas* dare terga coëgit;  
umbrâ sub cuius viridanteque tegmine tuta  
floruit innumeros urbs hæc sat prospera soles;  
felix floret adhuc & ab omni parte beata,  
florebit posthæc semper felicibus ausis.  
Prodiga materies heic longi carminis esset,  
nomina nuda *Ducum* si commemorare laborem.

II. *Situs.*

Mecum quando *situm* tacitâ circumroto mente,  
heu mihi, quam pingvis seges est, quamque area justas  
in laudes offert se nobis inclyta! Quisset  
næ meliore locô poni vix & magis apto.  
Namque paludosis jacet undique & undique campis:  
distat ab Oceano reliquis truncibusque fluentis  
longius, ut tantum valeat concussio terræ,  
quantum palmæ hydri possunt ranæque nocere:  
nec celsô, nec montosô fundamine gaudet,  
qualia non rarò loca prosternuntur ab Euris;  
commodus at situs est, paullum tamen eminent orbem  
trans Solis medios, quò collidendo resultat  
horrissoni Boreæ vis ac penetrabile frigus,  
totam perpurgent putridisque vaporibus Urbem.  
Temperiem aëriam quis carperet ergo salubrem?  
namque venenatis animalia prædita spiculis  
prorsus ab hospicio patriæ removentur arenæ:  
horrendæ morbi facies non agmina tanta  
heic glomerant, nec tam numerosa cadavera virus  
letiferæ sternit pestis, quæ pluribus urbes  
hospitibus viduat, veluti sicilice relectis.

411-



Anglia, si vero constat, quod fama susurrat  
publica, mirificè sibi perplacet, angulus Orbis,  
quod Corydon, vivax Corydon, de gente Britannâ,  
nomen cui *Jano Barrero*, faustiter annos  
centenos numerans nunc-nuper desiit esse.

Num verò mirum fuerit, confinia tanti,  
tam vastiqve intra vastissima mœnia regni  
esse unum, centum cui Sol renovaverit annos?

Miramen mirum mirò miramine miror,  
longævi plures unâ si dantur in Urbe;

quales non paucos numero viditqve videtqve  
nostrum Altenburgum, quorum non ultimus exstat

*Jacob Hefererus*, validus vegetusqve per artûs,  
bis post lustra decem qui septem vixerat annos.

Quid reliquos referam, quorum sunt nomina nota?  
Nec minor est laudis species, quod jugiter Urbem  
hanc nostram cingant multæ, ceu pulcra corona,  
prælustres aliæ, famâ super æthera notæ:

*Lipsia*, Mercurii domus aurea, quæve canentes  
semper habet Musas, & semper carmina Phœbi  
aure bibit doctâ: terræ Misneidos umbo,  
ritè ubi Majugenæ celebrata panegyris annò  
ter sua sacra facit, Clariasqve undosus Elyster  
perfundit Divas, ac lætos largiter agros:

*Erfurtina*, viris & viribus incluta, cœli  
quæ Thuringiaci vel Roma vetusta videtur,  
cui sunt largitæ Charites Charitèia tempe,  
floreæ rura Ceres, dat cæcuba liber Jacchus,  
Neptunus Gèram, Mars bellica contulit arma,

Jupiter ora viris, censum Plutusqve beatum:  
non reticenda mihi clivosa mœnia *Jenæ*,

quæ cingunt colles, quæ lambit Sala profundus,  
quæ cœlò delapsa Themis fovet, ipse Lycéò

posthabitò Stagirita colit; non Attica Musa,  
non Clio veneranda deest; sed Apolline pleni

irriguæ vates libant Aganippidos undas:

nec *Vinaria* tu, cultis uberrima campis,

quam propè piscosus fluit Ilmus, & alluit undis

† A.C. 1646.  
atq. 107.

magni-





magnificos aulae muros, laquearia, turrese,  
& Ducibus priscis habitata palatia, Rutæ  
germina quos patriis decorant gestamen in armis:  
Quæ Salis accepit clarum de nomine nomen  
Hala, Salinarum mater fecunda, soloque  
Hermundurorum sat nobilitata propinquò,  
quam Tacitus, Latina scriptor gravitate venustus,  
in libris tacitam quoque noluit esse disertis:  
Leucoris insignis, cuius super æthera nomen  
ivit, & extremum terræ penetravit ad orbem,  
quam natura loci, congestumque aggere vallum,  
fœdere quam concors concordia munit & unit,  
quamque Electuræ voluerunt Saxones urbem  
& caput, & patrii quoque dicere robur agelli.

III. Fœcun-  
ditas.

Magnæ urbes hæ sunt: tamen haut est nostra feraci  
inferior tractu: propè nam præterluit illam  
flumine, *Plisfa* cui nomen, rapidissimus amnis,  
qui, tepidi veluti septena toremata Nili,  
lene fluens equeidem; sed cunctis amnis extans  
utilior, nullas confessus marmore vires,  
arentes nigra segetes fecundat arenâ,  
irrigat assiduò fluxu quoque rura pererrans:  
non metris effabor ego, quot secula gentis  
sqvamigeræ, vitreò singentia flumine lusûs,  
usque benignus alat, quæ civibus emta patellis  
ponuntur, carnique interponuntur opimæ,  
ut vervecinæ, bovis & suis, atque ferinæ.  
Mugit enim collis, fessis & amica juvencis  
silva, greges ovium balant, tugurique colonus  
pauper distentas comitatur lacte capellas  
per tractûs rigui saltûs vallisque cavata,  
ac in frugiferis qui cingunt collibus urbem.  
Istis ne defint *Cerealia munera* ferclis,  
heic DEUS ærios montes camposque jacentes  
nectare coelesti saturat viridantis amictu  
jugera sulcorum valde ebria messis inumbrat,  
quæ Cererem, viridis quæ pabula mitia fœni,  
ac olus, humanis quod cernitur usibus aptum,

qvæ



quæ præbet frumenta, quibus liquor inclutus ille, vponit  
 gratus odore, sapore bonus, præstansque colore,  
 excoquitur, cujus sitis arida pellitur haustu,  
 nutrimenta petunt artus, & robor nervi:  
 adde, quod omnigenos glebâ ferat ubere fructus,  
 millecuplis decorata bonis, perque omnia dives,  
 terra ferax Cereris, nunquam mentita colono,  
 vernans graminibus, nitidâ se flore coronans,  
 non ingratus ager, durô sub vomere pingvis,  
 nullaque gignendis lasantur jugera linis.  
 Quid verbis opus est? partu foecunda benigno  
 innumeras effundit opes, ut jure salutes  
 Misniacæ meritò sumen memorabile terræ:  
 confluit huc siquidem densissima sæpe virum vis,  
 quæ fruges facili prostantes ære, bonoque  
 mercatas precio longinquas vectat in oras;  
 juro tibi! cernes Francos hinc, inde Bohemos,  
 illic Tyrigetæ, heic Misnos, atque Nariscos  
 calfacere inde forum videas cum Saxone durô.

Non heic *Piscinæ* desunt, fontesque perennes  
 non platæis solùm manant stratisque viarum;  
 sed nec quæ spectant ædes Titanis ad ortum  
 destituuntur aquæ puræ vivente scatebrâ:  
 ternæ præprimis sunt nobilitate celebres  
 urbem piscinæ propter, quas efficit agri  
*Cosmani*, vulgo si fas est credere, rivus;  
 profilit hinc undæ jugis liquidissima vena,  
 civibus & cunctis uberrima commoda præstat,  
 irrigat hortorum benè pratorumque recessus,  
 urbi grande decus dans floriditatis amœnæ.  
 Non deest *Silvarum* largissima copia, civis  
 cum Corydone quibus fruitur non-fœnore - parvo,  
 lustraque non absunt illis, stabula alta ferarum,  
 cervus ubi, timidusque lepus, spumantis & apris  
 dira fames virides audet depascere frondes:  
 it portis igitur, cui jus datur illud eundi,  
 ipseque non rarò *Princeps*, adsurgite Musæ!  
 retia rara, plagæ, latò venabula ferro,

B

Nobis

IV. Amanti-  
tas.



Nobilissimūq̄ve ruunt equites, & odora canum vis:  
nunc canis insultat lepori, nunc fundit aprugnam  
bombardæ globulus carnem, nunc retia celsum  
cornibus arboreis retinent, ceu compede, cervum.  
Silvis heic etiam fertur genus omne volucrum,  
pennigeriq̄ve greges: mensis aptissima perdix,  
deliciaq̄ve hominum turdus, merulaq̄ve canoræ,  
Sycalidesq̄ve, & mollis anas, & dulcis alauda,  
& trochili, & nigris velata monedula pennis,  
cumq̄ve saginata gallinâ huc altilis anser  
innumerô fertur numerô: huc & milia multa  
ovorum, minimô coëmenda valore, feruntur;  
huc veniunt Junoris aves, huc capo decorus  
acceptæq̄ve dapes, quarum me copia turbat.  
Quid campos memorem virides, quid nobilis Horti  
delicias, Urbis cingentes mœnia nostræ?  
qualis ad illustris latus Arcis adhæret, amœnos  
tantum qui reliquos inter supereminet omnes,  
quantum lenta solent inter viburna cupressi;  
mundivolæ nitidô clarescens lumine famæ,  
Romuleô Imperiô quod non magis amplior ullus:  
est super irriguô lati planissima campi  
area, quam circum murorum machina claudit,  
intus prata virent rigidô purgata ligone,  
umbrosūq̄ve nemus, fontes, & amabilis unda,  
& junctæ frondes, & nexa cydonia citro,  
perpetuoq̄ve virens buxus, humilesq̄ve myricæ,  
& bicolor myrtus, baccis quoque turgida ficus;  
nec pyrus aut prunus, nec malus, & innuba laurus,  
nec frondosa deest corylus, nec populus ingens:  
cedant Alcinoi, cedant pomaria Pæsti,  
Ægeriæq̄ve nemus, quæve aëre pendet in alto  
terra Semiramei, si verè creditur, horti:  
hunc Venus Idaliis superanxit odoribus hortum,  
permulsiq̄ve locum, blandosq̄ve reliquit amores  
sedibus, & volucres heic jusit plaudere turmas.  
Nam, quid ego mirer primū? quo fine quiescam?  
auratasne trabes, an tot prætoria citcū?



an nēmus arboreum, malosq̄ve pyrosq̄ve feraces?  
 an referam levium vivaria plena ferarum?  
 Horti num partem, varias ubi picta per artes  
 gaudet humus, cultisq̄ve herbis & floribus halat  
 huc oculis, huc mente trahor: sunt millia multa  
 isthic herbarum: heic flores beneolentis anethi,  
 heic casia calthæq̄ve, soporiferumq̄ve papaver:  
 heic Hyacinthe vires, inscriptus nomina regum,  
 heic & odoratas prætexit amaracus umbras:  
 heic ruta, & graviter spirantis copia thymbrae,  
 Narcisq̄ve comæ, serpillaq̄ve olentia florent:  
 heic rubrô splendore rosæ, vaccinia nigrô  
 imbuta, & dulci violæ ferrugine tinctæ:  
 sed neq̄ve quâm multæ species, nec nomina quæ sint  
 herbarum, terris huc quæ venêre remotis,  
 est numerus, nec enim numerô comprehendere par est:  
 sed neq̄ve, quæ stupeas, ibi fontis aquaria desunt  
 jugia, quadratâ lignis inclusa figurâ:  
 proxima sunt illîc puteo prætori vasto  
 exstructa, & variis laquear præsigne figuris  
 depictorum hominum, depictarumq̄ve ferarum:  
 hinc locus, unde leves mittuntur ab aure sagittæ  
 oppositam in metam, nec non pila provolat acta  
 nunc pede, nunc cubitô, stricto nunc obvia pugno:  
 at passim fontes, cœcisq̄ve fluenta latebris  
 emittunt liquidas constrata per atria lymphas,  
 si calces inopinus aquas, mox siphon represus  
 exsilit, & stupidis immittit vultibus undas.

Nunc Urbem visamus, erunt, quæ lumina pascant  
 Dædaleis exstructa operis speciosaq̄ve tecta,  
 sat spaciola fora, & lætæ lætæq̄ve platææ.

Urbis, Hyperboreus quæ fiat Septentrio, parte,  
 Arx præcellsa micat, sublimibus ardua tectis,  
 magna Ducis sedes, quæ binarum arcta domorum  
 mœnibus, & solidis laterum compagibus hæret.  
 porta domûs ingens, firmæq̄ve è rupe columnæ,  
 æratæq̄ve trabes, ferratô cardine postes:  
 hanc ubi jam portam fueris ingressus apertam,

V. *Ædificia.*

(1) *Arx:*





à fronte occurrit variis constrata lapillis  
area, quadratò laterum munita recessu.  
Quid teferam egregiò constructa palatia luxu,  
contiguisqve hærent quæ nexa cubilia tignis?  
collucet paries Tyriò variabilis ostrò,  
atria stant suprâ longis suffulta columnis,  
illïc artificumqve operæ, & sola marmore picta  
resplendent, subsuntqve suis asarota figuris,  
cælataqve trabes, & clara toreumata signis:  
heic paries splendet Gerulò murice tinctus,  
fulget gemma toris & jaspide fulva supellex.

Ast hæc longa mora est numeris includere nostris  
ornamenta loci, veterum decora alta penatum;  
ipsi nam subsunt conclavia pluria, magni  
quæ Reges possint, summiqve habitare Monarchæ.

A. C. 1419 Imâ parte jacet Templum cathedrale, GEORGO

A. C. 1647. sacratum: Misnæ Gvilielmus Marchio struxit;

at nunc præripiens palmam vel mille sacellis,

auspiciis FRIDERICE tuis GVILHELME, nitescit,

cultum Praxitelis dextrâ, doctive Lysippi,

arteqve Mentoreâ gemmans, clariqve Myronis:

hoc Carthago mihi est, de qua siluisse putaturus

laus major, verbis quàm dicere pauca disertis.

Num Cellam taceam, distenta ubi nectare dulcium

dolia, multiplici variarum ambage viarum,

hinc illincqve jacent? quali Minoia flexu

tecta fuisse ferunt, ubi inextricabilis error,

parietibus textum cœcis iter, ancipitemqve

mille viis habuit dolum, & iremeabile limen.

Est in secesu longò locus, usus eqvorum,

stant ibi perplures vincti præsepibus altis,

egregii formâ, spirantes naribus ignem:

illïc res lætæ, magnis Circensibus actis,

arte laboraræ vestes, ostroqve superbæ,

auratæqve micant peltæ, micat aureus ensis.

Aëriæ Turris stant celsa cacumina, cuius

testudo aripedum gressûs admittit eqvorum.

Non ego cuncta meis complecti versibus opto.

Hæc



Hæc quamvis *plagiô* satis est famata nefandô,  
dum *Fridericiadas geminos*, comitatus equestri  
turba, *Kauffungus*; animô truculentus & asper,  
nil veritus miseræ suspiria plurima Matris,  
seduxit tacitæ per opaca silentia Lunæ,  
rursus at omniboni quos provida cura Tonantis  
fospitat: inde tamen quoque laus non-ultima surgit,  
hâc Aulâ longos jam confedissee per annos  
tot tantosque Duces, lectissima germina Rutæ,  
veros sinceræ Pietatis & Artis Atlantes,  
quorum quàm quirem vel nomina sola notare,  
antè diem clausô componet vesper Olympô.

A.C. 1455.  
7. Julii.

Ortu quâ Titan tellurem spargit Eoô,  
nunc prostrata jacent ac diruta rudera prorsus  
*Cænobii*, sanctæ quod Religionis ad usum  
regificô sumtu fundârat & auxerat olim  
*Fridricus Cæsar ruse cognomine barba*,  
Rex bonus & sapiens, fovit qui sacra Minervæ,  
nec minùs est Martis studiis operatus in armis.

(2) Monaste-  
rium.

A.C. 1172.

Incluta nunc obfert se *Cancellaria* nobis,  
ingeniis habitata Patrum, Sanctique senatûs  
regia: quâ sedem posuit Themis alma, suumque  
virgo Astræa tenet puteal, stant atria longis  
obvia porticibus, multisque instructa columnis:  
vestibulum ante ipsum, primoque in limine sedis  
cernere semper erit, populis undare penates,  
adsiduos intrare inopes remeare beatos.

(3) Cancellaria.

*Curia* præ reliquis, gravibus gravidissima curis,  
emicat, ut stellas nitet inter Luna minores,  
sedes Consilii, divæ penetrabile Themistos;  
hac olim coire sacri longô ordine Patres,  
quos *Witeberga* suis gremiis, quos *Jena* fovebat  
florida, Theologici clarissima sidera cœli,  
*Colloquium*que pium placidô sermone trahebant:  
membrô de fidei dubiô, pugnareque visô,  
ante DEUM qualis sit Justificatio nostri,  
*Janô Gvilelmô* Patriæ mandante Parente:  
celsâ luxuriat *Turri*, quæ, nobile visu,

(4) Curia.  
A.C. 1562.

A.C. 1568.



vertice prospiciens altō ardua tecta domorum,  
surgit, & excelsum caput inter nubila condit;  
hac multā impensā, nec laude minore, priores  
sublimi fabricam posuerunt pariete muri  
intus, ut exactas mortalibus indicet horas:  
mirum opus ingenii, mirandāqve arte paratum,  
quale laboriferi nescisset radere tornus  
Praxitelis, Cōus nec depinxisset Apelles,  
nec Polycletæus duxisset in ære caminus,  
quale nec Ætnæis olim Telchines in antris,  
nec rigidus Steropes, nec, qui polit arma Tonanti,  
Muciber æternā potuisset fingere massā,  
quale nec hoc nostrō quisquam conspexit in Orbe,  
nec facilè adspiciet, quamvis hinc inde pererret.

(5) *Templa.* *Templa* sed anteeunt pulchrā vastissima mole,  
culmina quorundam turrita minantur in æthram,  
aëriæ ut quercūs, aut coniferæ cyparissi  
consistunt, silva alta Jovis, lucusve Dianæ;  
quorum adytum cultus purus putusqve superni  
Numinis exornat, scoriæ Papalis inanis,  
hæreseosqve rudis; geniū ingeniiqve lacunis  
depromptæ, variū variè quam spargere tentant;  
profilit heic Pietas, & Amor non illitus ullo  
fucō, cumqve Fide virtus, argenteus amnis  
ceu derivatur salientis flumine fontis,  
vana superstitio, quæ delirantia reddit  
pectora, Sauromatas ultra Tanaimqve recessit.

(6) *Aedes  
privata.*

Non splendore carent Cives quæ tecta frequentant,  
quæ dum collustres, dubitabis, commodiore  
utilitate juvent magis, ane decore nitescant?  
Sint munita licet minùs Urbis mœnia nostræ,  
lata nec excisas foveant pomœria fossos,  
nec centum validas possint ostendere turres;  
Sed benè habet, firmata satis spes, anchora, portus,  
arx, scutum, vallum, quin murus ahenus, asylum,  
robur, præsidium nobis DEUS estqve manetqve,  
cunctipotente suâ qui dextrâ rebus in arctis  
auxiliator adest semper- certissimus, atqve

eripit



eripit è tristi miseròs discrimine rerum:  
Princeps: unanimi viventes fœdere cives,  
Indigetùmque fides munimine fortior omni est.  
Quin abs clade tuâ si trux *Husfita* fuisset,  
crebra nec infestis toties *incendia* flammis  
urbis nostratis lacerâssent tecta domosque,  
istis splendidior non adpareret in oris.

Quantâ floruerint olim *virtute* Priores,  
prælia felici tot depugnata loquuntur  
dextrâ, Saxonicae forti moderamine Rutæ,  
totque reportati devictò ex hoste triumpho,  
quos non delebit seclî cariòsa vetustas:  
non minùs optatæ tranqvillò tempore Pacis  
Artibus invigilant, obeunt sua munia promti,  
non nimis indulgent genio, scelus exsulat omne:  
heic probitas, heic alma Fides fert obvia gressûs,  
heic amor est in litterulas spretasve Camœnas;  
tantum nam Musis urbs hæc largitur egenis,  
quantum vicinis vix in regionibus ulla,  
magna potensque licet: pollens hinc copia cœlò  
adpluit, ac lætis locupletat frugibus agros:  
hinc augusta domi, sed rarò angusta supellex,  
nec cives arctæ pertexunt stamina vitæ.  
Ars nec Dædaleæ plusquam celeberrima dextræ  
heic reticenda venit, sine qua si fortè fuisset,  
pesum jamdudum cum Musis isset Apollo:  
nostrâ præfigni siquidem tersâque nitelâ  
*Chalcographis* animare typis ad seclâ nepotum  
exactos libros quot vidimus hætenùs Urbe?

Sed quem Te memorem, quove in Te carmine fungar,  
FRIDRICE Ô GVILHELMIADES, præstabilis Heros,  
Sceptra tenens patriæ princeps celsissime terræ,  
par Patri, patriis ut qui virtutibus æqvum  
æmulus hoc peragis vitæ prænobilis ævum?  
est Tibi cura, DEUM cœlesti noscere cultu,  
& vitæ servare modum, finemque tueri,  
Justitiamque seqvi, sanctas defendere Leges,  
& colere ingenuas, non temnere turpiter, Artes,

A. C. 1430.

A. C. 1396:

1403 : 1427:

1444. 1451.

1475.

VI. Mores

atq; studia

Civium.

VII. Magi-

stratus.

in-





ingeniō reliquos superare, haud sanguine niti,  
 nec sua futilibus consumere tempora nugis;  
 sed Patriæ prodesse Tuæ, ptodesse Camænis,  
 nec Tibi, sed toti genitum Te credere Mundo;  
 sedem in Te pietas figit, palmaria virtus,  
 in Te prisca Fides obsesō pectore vivit:  
 Tu Pietatis opes, Verbi cœlestis honores  
 immensō adservas studiō, ne rure patritō  
 infelix lolium ac steriles dominantur avenæ;  
 inde salutares Leges edictaq̄ve manant  
 in vulgus moresq̄ve ejus se moribus aptant  
 mandantis, vitamq̄ve colunt, quæ consona Legi.  
 Perge ita, prælustri princeps, Te tota loquentur  
 climata Regnorum, vastus Te prædicet Orbis!  
 Perge ita! Sic referes tantō condigna labore  
 præmia, Teq̄ve piō memorabunt ore nepotes.  
 Curia dein propugnatrix ritè audit honesti,  
 æqvâ lance suum tribuit, quod postulat Æqvum,  
 dirigit infontes; sed fontes frenat habenis,  
 effrenesq̄ve rotâ, furcâ, ferrōq̄ve recisos,  
 corporibus Medicus ceu membra putrentia, tollit:  
 nec mirum, semper patribus si spissa, celebrat  
 quos gravitas, capitisq̄ve nives, maturave quorum

VIII. Mini-  
 sterium Eccle-  
 siasticum.  
 Nomina Su-  
 perinten-  
 dentium à  
 Reforma-  
 tione B. Lu-  
 theri:  
 1. M. Gabri-  
 el Didymus,  
 A.C. 1521.  
 2. D. Wen-  
 ceslaus Lin-  
 ckus, A.C.  
 1522.

pectora jam pridem rerum prudentia coxit.  
 Ætas perfuncti stridenti cardine secli  
 prodiga magnorum viridavit messe virorum,  
 nec non Doctores & vitâ & voce probatos  
 spargere divini vidit Mysteria verbi.  
 Dicere fert animus Superintendentis habenâ  
 dexteritate gravi, dextrâ gravitate potitos:  
 primus erat Gabriel Didymus, pius Arte Magister,  
 templa Neapoleos qui rexerat impiger antè;  
 enthea sed deinceps heic spargit semina Verbi,  
 Argeliam tandem tendens svafore Lutherô.  
 Linckius alter adest, Sacri decus Ordinis ingens,  
 quem Studia, & longis vigilatæ noctibus artes  
 nomina sublimis Doctoris habere dederunt;  
 heic postquam diō saturavit nectare mentes,

exa-





exactâ petiit trieteride *Noridos urbem*.  
 Excipit hunc *Lutheriade* sincerus *Achates*.  
 & bona pars animæ, laudabilis ille *Georgus*  
*Spalatiniades*, roseis quem fama quadrigis,  
 nescia fama mori, fert docta per ora virorum;  
 vivens is meritò mihi bibliotheca vocandus,  
 in qua delituit sacra pagina, culta *Sophia*:  
 in qua *Lingvarum* pomœria viva virebant;  
 bis denos docuit summâ cum laude per annos.  
 Pòst *Augustinus*, venerabilis *Arte Magister*,  
*Himmelius* subiit *Superintendentis* honores,  
 præfuit & postquam callem monstrando polarem,  
 octo post annos factus fuit incola cœli.  
*Bresnicerus* adest *Alexius* ordine quintus,  
 hunc jubet officio valedicere dira nefandi  
*Lerna Synergismi*, ab notis discedere terris.  
*Misenus* post hunc onerosum munus obibat,  
 scepra regenda *Scholæ* cui tradidit antè *Senatus*;  
*Leucopetra* tandem dimissus desit esse.  
 Hinc *Bresnicerum* Patrum pia cura remotum  
 ex filiò revocat, rursusque excedere mandat.  
*Esaias Oswaldus* adest, quem proxima *Stecha*,  
 & dextrè *Verbum* quoque noverat *Auma* docentem;  
 ille nec acceptus *Patriæ* gratusque *Propheta*,  
 jusus concessit relinquere munia pensam.  
 Inde *Melisander*, cui *Noricaberga* tenellas  
 indulgit cunas, multâ præstabilis *Arte*,  
 sedula sicut apes delibans dogmata *Verbi*  
 mellitò cœtum commissum rore cibavit;  
 illius hinc meritò viget indelebile nomen.  
*Josua Löhnerus* sequitur, clarissima cujus  
 usa ministeriò fuerat *Vinaria* pridem;  
 grandia qui tolerans gravium momenta laborum  
 præibat populo, velut alter *Josua* ductu:  
*Müllerus* post hunc subiit, turrata *Vienna*  
 pulvere quem *Scholicò* primùm fordescere vidit,  
 nec non *Silusium* quo *ConRectore* vigeat,  
 pòst *Frawbreitingl Zizeg* minister ad aram;

3. M. *Georgius Spalatinus*, A. C.  
 1525.

4. M. *Augustinus Himmelius*, A. C.  
 1545.

5. *Alexius Bresnicerus*,  
 A. C. 1553.

6. *Andreas Misenus*, A. C.  
 1562.

7. *Alexius Bresnicerus*,  
 A. C. 1568.

8. *Esaias Oswaldus*, A. C.  
 1573.

9. D. *Caspar Melisander*,  
 A. C. 1578.

10. D. *Josua Löhnerus*,  
 A. C. 1592.

11. D. *Balthasar Müllerus*, A. C.  
 1595.

in

C



in parvis perspecta fides dum claruit ejus,  
duros pensavit lautissima Sparta labores,  
summâ cui præerat cum laude, minore nec usu:

12. D. *Abraham Svarinus*, amabilis ille  
*Doctor, Sceudicium* quo *Delitium*que tot annos  
jure superbibat, celebratus flumine *Svadæ*,  
qui gravis exemplô vitæ, Verbôque salubri  
commisum dextrè duxit docuitque popellum.

13. D. *Heinricus Eccartus*, tuba clara Sionis;  
nectare *Singene* cœlesti corda rigabat,  
inde Professore incoluit *Soracte Gifenum*,  
hòc *Franchus* catô sibi post *Doctore* placebat;  
Hector militiæ Christianæ strenuus, atque  
murus & arma Sacræ Trojæ, vir maximus Arte,  
vir Gravitate nitens, Zelôque refertus *Amosi*,  
nec-non Theiologi lampas clarissima cœli.

14. D. *Ægidius Hunnius*, excellens huic succedebat, amœna  
gloria *Pegasidum*, *Svadæ* flos atque medulla;  
nomine par Patri, sed & ingens omine verô  
scutum, umbo, clypeus qui religionis avitæ,  
magnus doctrinâ, major pietate fideque,  
maximus ingeniô, superæ caducifer aulæ,  
*Sangerohusani* Præsul prius arduus agri.

Ad Paradisiacos hi concessere penates;  
horum fama Virûm, virtus, ac gloria vivet,  
dum fluet ac refluet finuosô flumine *Plisfa*.

15. D. *Martinus Caselius*, Nostræ *Casolius* nunc est cynosura Sionis,  
Eusebies germen, magnum decus Urbis & Orbis,  
largificâ tribuit cui dextrâ munera Numen  
divinusque *Sophus* præstat, cui nectaris instar  
dulcis honoratô promptè fluit ore loqvela,  
JHOVA det, ut longos præsit profitque per annos!

Nec tamen hi soli laudis meruere brabeion:  
sunt plures, quos ferre mihi brevis abnuit hora,  
Theologiæ in primis rata qui mysteria docti  
entheæ felici jactu sparsere per Orbem  
semina, Christiadum multum ædificantia cœtum  
emeritas quorum laudes meminisse refugi,  
ne cui vel nimium minimumve dedisse viderer.

Urbis



Urbis tecta & opes, nec non memorabile quidvis  
 defino rimari, mirari defino; laudes  
 proveho. Svave decus superest, Schola scilicet isthæc,  
 Urbem quæ pennis solvi metuentibus astris  
 æquat, ut emineat stabili super æthera famâ;  
 hæc: hæc Urbis honos, Sol est, ac anchora fida,  
 qua sine per dubios nutatque natatque tumultus;  
 ornat eam, veluti pretiosas purpura vestes,  
 pulcra corolla manûs, ac aurea pala cylindros.  
 Nam Jus est Urbis fulcrum, Medicinaque nervus,  
 Theologie basis est, Sophiâ sine quælibet argent:  
 Theologiæ verò est Schola florida dia favisla:  
 templum Justitiæ, fragrans Medicaminis hortus,  
 hospitium Sophiæ, Lingvarum Artisque palæstra.

Hanc quondam docuit fida *Reismannus* opellâ:  
 hinc *Chiliane* subis tam duræ munia *Spartæ*,  
 Juncta *Spalatini* fuerat cui filia magni:  
 alter ab hoc *Piscator* ades, spectabilis arte,  
 clara Professore coluit quem *Jena*: deinceps  
 excipis hunc *Hamerice* senex, vir culte per Artes  
 multum *Pierias*, vivens heic lustra per octo:  
 inde *Parens* sequeris per bina decennia, legit  
 urbica quem *CHRISTI* sibi nunc *Ecclesia* *Mystra*  
 bis septem ferme, puto non sine fruge, per annos.  
 Post *Seifartus* adit nostri moderamina ludi,  
 & sacra & *Sophicæ* prætoris stella cohortis:  
 Francica qui dum rura petit, *Crausere* colende,  
*Sisyphium* Scholicò Te pulvere volvere saxum  
*JHOVA*- Pater voluit, Patrum nec provida cura  
 abnuit, heic nostri demandans Sceptra *Lycæi*.  
 Fas erit, ardenti prece poscere Numen *Olympi*,  
 largiri velit eximios proporrò Magistros:  
 qui studium Moresque regant & facta priorum  
 edoceant: quæ norma boni, qui limes honesti  
 monstrent, inque Patrum vestigia ducere perstent,  
 eloquiique vias, *Ciceronia*que arma disertis  
 vocibus expediant, & cultu divite *Lingvas*  
 forment, ac doctis sermonibus ora figurent!

IX. Schola.

Rectores ejusdem.

1. *Diodorus Reismannus*  
A.C. 1526.
2. *M. Michael el Chilianus*.  
A.C. 1556.
3. *M. Johann. Piscator*. A.C.  
1575.
4. *M. Joh. Hammericus*,  
A.C. 1574.
5. *M. Josephus Clauderus*. P. L. C.  
A.C. 1614.
6. *D. Tobias Seifartus*,  
A.C. 1634.
7. *Georgius Crauserus*,  
A.C. 1644.



Conclusio  
cum Voto.

Tu verò, Aonidum cultrix operosa Sororum,  
& veræ Pietatis amans, ac Pacis alumna  
nobilis, *Alzburgum*, nostratis adorea terræ,  
ô præclara domus virtutum, Juris asylum,  
Justitiæqve sacer portus, fidei anchora sacræ;  
Salve urbs illustris, dulcissima Patria salve,  
æternumqve vale magni domus incluta CHRISTI,  
quâs ve Tibi canimus levidensi carmine, laudes  
accipe, prona, tuas, & miti respice vultu;  
Sic Tua crudeli nunquam pulsentur ab hoste  
mœnia, nec sævæ videant contagia Pestis,  
nec Te dira Fames, nec Te penuria vexet;  
sed Tua sit Cererisqve ferax fœniqve novelli  
terra, domusqve tuas spirabilis ætheris aura  
recreet, ac niveis PAX aurea contegat alis!

PARS PO-  
STERIOR,  
*Gratiarum*  
*actio, directa*  
*ad*

Et sic dimidiam fabricæ quodammodò partem  
exegi nostræ. Nunc pergo ad pensa superstes  
cætera, non longò conqurens carmine pausam.  
Isthinc ne tacitus discedam, qualis haberi  
ille potest, cui vel nihilum Charitèia Triga  
pectoris indulsit grati, vel Murcia deses  
struxit in internis exosa habitacula fibris;  
adnitar patriis breviter valedicere Musis:

Finis adest propior, mea Pieri, contrahe carmen,  
extremumqve Vale Patrio suspende Lycéo!

I. DEUM  
*opt. Max.*

O DEUS, astrati sapiens moderator Olympi,  
ô Pater, & Fili amborumqve reciproca *Flamma*,  
qui tumidi quondam pelagi terræqve pacem  
cunctipotente manu sinuasti fortiter arcum,  
qui circumfusi tentoria lucida Cœli,  
& liquidas curvò suspendis fornice lymphas;  
quas Tibi devotò depromam pectore grates?  
ut Tua vel paucis pateant depicta figuris  
munera, prægrandi cumulò mihi præstita largè,  
non me telluri, ceu brutum ignobile, pronum  
adfigis; rectò sed sidera cernere vultu,  
Os sublime mihi tradis, mundi qve theatrum  
& convexa Poli erectâ cervice tueri;

Saa-



Sanctæ divinô me donas lumine mentis,  
 quotidièqve novô maestas me muneris auctu;  
 Tu mihi Fautores, quorum contermina cœlo  
 fama cluit, promptus largiris, & indice certô  
 ulterius monstras illorum puncta mereri,  
 nec-non immunes morbi mihi corporis artus  
 providus indulges, mentisqve tueris acumen.  
 Ah fateor, tantis mihi nulla solutio restat  
 pro meritis! tamen, ut vel mica minutula gratæ  
 mentis ad adspicias ponatur luminis auras,  
 en! animæ Tibi tota meæ vis, sensus & omnis,  
 & vigor in fibris & viribus omnibus omnis  
 in grates diffusa Tibi non carminis unam  
 spondent materiam; sed plenam prodiga messem!  
 Ac, cum nunc alio me terras Sole calentes  
 visere præcipias clemens, prece supplice supplex  
 Te veneror, jugi hæc benefacta fluore benignus  
 continuare velis, rabidas Sortisqve procellas  
 adversæ pulsare procul lingvæqve flagella!  
 Sic Tibi, seu Phaëthon oritur, seu lassus ab æstu  
 lora fatigatis solvit nodosa caballis,  
 Misnide pro terrâ non thure; sed ore, sed omni  
 pectore dependam fœcundus carmine vota!

Finis adest propior, mea Pieri, contrahe carmen,  
 Extremumqve Vale patrio suspende Licéo!

Insequitur Princeps de Rutâ plectile sertum  
 quem clarat, Virtusqve suas deducit ad ædes,  
 infita ab Heroum genuinô sanguine Patrum;  
 Hic me munificæ dignatur munere Mensæ,  
 culmine quâ montes minitantur in aëra Jene.  
 Ingenuus fateor, me tanta exsolvere nunquam  
 Posse, nec in meritas grates animare canalem  
 Phœbéum, si vel vernantes tempora circum  
 mî geminæ geminas & Smyrna & Mantua laurûs  
 efficerent, numeros legerentqve in carmina Musæ.  
 Num verò fileam? Mnemes ad fana sacratæ  
 talia devotus statuam, digitisqve decenter  
 hæc ego vel cedris incidam emblemata votis

II. princi-  
 pem, ac Dn.  
 Dn. Frideric.  
 VWilhelmum,  
 Ducem Saxo-  
 nie, &c.





Floreat ac vigeat germen prænobile semper,  
Ruta, tuum ò Mortis nec tristes sentiat ictus;  
ævum perpetuet scutum Libethridis oræ;  
atque Pater Patriæ, veræ Pietatis & Atlas:  
quin *Conjux*, Matrona potens, benè salva perennet:  
Numinis indultu tandem quoque parvulus aulâ  
*Ascanius* ludat, patrioqve arrideat ori!

Finis adest propior, mea Pieri, contrahe carmen,  
extremumqve Vale Patrio suspende Lycéo!

III. Dnn. Principis excipitis Numen, quos ipse juvare  
*Consiliarios:* Sacras consiliò voluit res atque profanas!  
Dn. Johann Maxime *Brandiades*, quem nobile sangven utrisque  
*Friederich à* longiùs à præavis deductum clarat, & amplas  
*Brandt/ &c.* ingenii ob dotes variis in floribus Horæ  
æternæ pictum miratur vivida fama:

Dn. D. Hen- *Gebharde*, ò cuius mentum sibi Diva dicavit  
*ric. Gebhar-* Justitia, & Pallas Sophiæ vocalibus undis  
*di, &c. Can-* ad miraculum usque immerfit, blandosqve favorum  
*cellarium.* Principis indulfit Zephyros, Charitumqve maniplos:

Dn. VVolfg.- *Thumshirni*, cum nullo grandi Virtutis & Artis  
*Cunrad. à* antiqvæ misces qui Nobilitatis honores;  
*Thumshirn,* quem sacrat immortalis honos, & gloria famæ  
*&c.* erigit, atque humili plebis distingvit ab undâ:

Dn. D. Se- *Florida Beerides* prælustri adorea Juris,  
*bast. Beer,* à quo, si vellet dubios discernere casus  
*&c.* grande Dices numen, caperet documenta, suasqve  
casfa laboraret Sophie resciscere vires:

Dn. D. Augu- *Carpzovi*, Themidos corclum, quamplurima virtus  
*stum Carpzo-* quem dedit illustrem; quem magna peritia Juris  
*vium, &c.* supremos Legum titulos, & nomine summum  
jusfit habere decus, laudisqve perennis agalma:  
qvæ memoris monumenta animi suspendet honori  
officiosa Charis vestro, qvæ pondere laudum?  
Sol priùs oppositas perfundet lumine terras,  
astra sinent primùm cœlò fulgere sereno,  
nec solitâ ardescent Titanis luce caballi,  
dulcescet primùm mare, & experietur aratrum,  
mortuus atque caput gelidâ priùs efferet urnâ,

mentem



mentem quam subeat tantorum oblivio nostram:  
Vive, fave Brandi, floresce Gebhardia Peitho,  
Thumshirni vigeas, felix stes Beeria Virtus,  
incolumisqve diu niteas Carpzovia Pallas!

Finis adest propior, mea Pieri, contrahe carmen,  
extremumqve Vale Patrio suspende Lycéo!

Et Te præteream tacitus, venerande Caseli,  
sacras quem res vult Ducis aula juvare fideli  
consiliò, cæli quondam clarissima lampas  
Philosophi, nunc ore potens suggesta movere  
dulcisonò, tortos varioqve sophismate flexùs  
disfuere, & veri canones monstrare probatos?  
nostras Tu tenues proni spirante favoris  
præ multis unus Musas amplecteris aurâ:  
pro patrociniò tanto, tantoqve favore  
quisqvis inestimis fibris vigor atqve potestas  
Te celebrabit, iners dum volvitur æqvor & aër,  
aëra dum volucris pennis celeri qve volatu,  
æqvora dum piscis pinnis celeri qve natatu  
permeat. Has grates cumulo isthòc simplice votò:

Vivat Caselius, benè sanus ubiqve triumphans;  
diæ Caselii vigeant melipecta Suadæ:  
Caselio DOMINUS tribuat, precor, omne quod optat:  
Caselium salvum, rogo, sospitet usqve Polarcha;  
undiqve Caseli floresce, nitesce, senesce;  
magnò à Caseliò procul, ô procul esto, quod obfit!

Finis adest propior, mea Pieri, contrahe carmen,  
extremumqve Vale Patrio suspende Lycéo!

Te volo, Freislebi, virtus quem tota vocavit  
esse suum, volupe est animas cui ferre beatas  
ad Cæli sedes, ubi cuncti pausa doloris,  
& facile, hæreseos truncare Sophismata diræ;  
Te volo, quo heic semper benè salva superstite durat  
buccina cælestis Verbi, servatqve canores:  
Sed, qua voce feram, grates quo carmine fundam,  
exilem nostram quòd mente favente Thaliam  
complexus, proni tot monstras signa favoris;  
donec pugnabunt calidis frigentia, ficcis

IV. Mæcenas  
tes reliquos:  
Dn. D. Mar-  
tinum Caseli-  
um, &c.

Dn. M. Ja-  
cob. Freisle-  
ben, Archi-  
Diac. & Con-  
sistori. Ad-  
sesforem.

hu-



humida, cum duris præmollia, Mulciber undæ;  
donec erit stabilis tellus, & mobilis æther,  
errabitq̄ve polô vaga Cynthia stellimicanti,  
agnoscam gratus tanti benefacta valoris:  
Vive diu Musis solamen amabile, vive;  
JHOVA Tuos annos æternet, inusq̄ve honorum  
nectareô sortem fluxu beet atq̄ve serenet,  
felix ausus eat, Tibi mitia fata senectæ  
sufficiat summi facilis clementia Regis!

Finis adest propior, mea Pieri, contrahe carmen,  
extremumq̄ve Vale patrio suspende Licéo!

*Senatum Ur-* Nunc ad honorati venio præclara *Senatus*  
*bis patriæ.* lumina, patritæ nitidissima sidera terræ,  
præstantes Dominos, Sophiâ ac Virtute celebres;  
hos ego præteream, meritô nec digner honore,  
quos amor in doctos Musarum magnus alumnos,  
famaq̄ve mansurô victuræ laudis honore  
maçtat, & æternum venienti porrigit ævo;  
queis studia, & nostræ non displicuere Camœnæ,  
ut potius foveant illas sat divite sumtu,  
sustententq̄ve boni placidis assensibus? absit!

*Dn. Andr.* Spectati salvete Viri, præstantia fulcra  
*Kestnerum,* Eunomies justæ magniq̄ve Themistos Atlantes,  
*COS.* Kestnere in primis, jam-nunc qui sceptrâ capes sis  
Consulis, & Leges, ac candida Jura tueris,  
fortunate senex, cui lustra bis octo peracta:

*Dn. VVilhel.* Walpurgere, catæ qui mentis acumine polles,  
*VWalpurgere-* & quem Consiliis armat Prudentia canis,  
*rum, EX-* qua sibi subjectos moderatur curia cives:  
*COS.* Culte Faber, variæ morosa negotia causæ

*Dn. David.* extricare valens Æqui aut Rationis opellâ,  
*Fabrum, EX-* Juris & æquarum custos fidissime Legum;  
*COS.* Vos reliquiq̄ve viri, prohibet quos dicere tempus!  
Ultrô equidem fateor, dignas persolvere grates  
non opis esse meæ, néve unquam in viribus ullis:  
Vobis JHOVA, pios respectans, præmia justa  
conferat, ac, veluti probus arbiter, omnia sorte  
isthæc compenset meliori, cœlitate dextrâ  
quin vestros ævo venienti proroget annos!

Finis



Finis adest propior, mea Pieri, contrahe carmen,  
extremumq̄ve Vale Patrio suspende Lycéo!

Haftenûs *absentes* excepi jure Patronos,  
evalui quantum: *praesentibus* ire litatum  
mens animi nunc est, grandi nisi pondere rerum  
obruor, & vires benefacta in carmine lasant.

Hinc Te contueor, *Genitor* reverenter habende,  
quo de ne facerem jam plura verba, recusat  
ingenuus pudor, & laudum incrementa sonarem;  
At Tibi quas potero grates, quæ carmina suctu  
Aoniô fœcunda satis cantare valebo?  
Non, mihi si centum lingvæ sint, oraq̄ve centem,  
ferrea vox, omnes metrô comprêdere dotes,  
non benefactorum percurrere nomina poscem;  
ecce! manûs extendo Tibi persolvere grates;  
accipe, sis, quas lingua cupit proponere grates,  
quæ etiam, quas lingua nequit dependere grates!  
Numina, si qua pios respectant Numina, si quid  
usquam Justitiæ est, & mens sibi conscia recti,  
præmia digna ferant, canis dent commoda fata:  
vive diu, quæ tota Domus stet læta vigensq̄ve:  
morborum cedat vis ad Garamantas & Indos,  
nec desit, quodcumq̄ve petis, quodcumq̄ve cupiscis!  
His subscribe meis DEUS optime Maxime votis!

Parentem, M.  
Josephum  
Clauderum,  
Diaconum.

Finis adest propior, mea Pieri, contrahe carmen,  
extremumq̄ve Vale Patrio suspende Lycéo!

O quàm nunc versu vestrum nomina laudum  
divite conarer celebrare & posce: lingvas  
auderem centum fluido per carminis ausûs,  
heic nisi præcipitis decurûs temporis omne  
anticiparet epos, venæq̄ve incideret auctûs!  
cuncta coarctatô hinc Clio mea perfice cursu:  
Vos, ô vos, passim clarat quos Concio, & Artis  
grande decus, nexu juncti mihi sanguinis arctô;  
unanimis *Frater* divæ coramabile Hygeiæ,  
qui solidas Patriæ novisti impendere curas,  
& spolia Orcino thesauro avertere opima,  
quæ vectura foret styga trans vaga cymba Charontis,

Fratrem,  
Doct. Joseph.  
Clauderum,  
Naturæ Con-

atq̄ve sultum.

D



atque faber vitæ, custosque perite salutis,  
& mortis succo cispellens sospite virus:  
*Dn. M. Michaël. Crellium, Ecclesiasten, Adfinesnem.* *Crelliades*, aures Latio purgatus acetō,  
alma Sais teneris benè quem nutrit ab annis,  
Bellerophontei cujus labra lota Caballi  
fonte, Maronis honos, Nasonis pompa, Melissi  
melligo, vates dignus, quem carmine Phœbus,  
Pan calamis, fidibusque: Linus modulantibus, Orpheus  
concinerent, atque acta viri laudesque sonarent,  
insuper indefes qui sacra negotia tractas,  
jejunasque animas diâ semente saginas.

*Dn. Paulum Kraherum, J.C. & Syndicum.* *Astræe Krahere* decus, quem turba Dearum  
æmula Pieridum cultu veneratur honorō,  
qui sic Eunomiæ Legum-latrice jubente,  
irruis in fraudes, ac quid sit Juris & Æqui  
enucleare vales utroque volumine Juris,  
pristinus ut candor tandem diluceat Orbe,  
atque redux cupidâ cum strenuitate gubernet,

*Dn. Joh. Philipp. Eccartium, Curie Graphiarium.* *Eccarte*, ô Divæ non-segnis mysta, bilancem  
quæ vibrat hinc, gladium dextrâ sed ventilat inde,  
qui calles memori Leges ac Jura cerebro,  
cui multum mentis, cui cor limante Minervâ  
acrius, ac doctæ finxerunt pectus Athenæ:  
Vos, in sto, qua voce feram, quo carmine grates  
eloquar, & nostros quod jam spectare labores,  
atque in deliciis habuistis adire theatra  
isthæc Musarum, raucos nec spernere cantus;  
pro tantis certè debetur gratia factis,  
gratia, quæ nullo prosteret debilis ævō:  
Grates ergo feram, patiar nec, ut ullius ævi  
terminus ex animis nostris monumenta favoris  
evellat tanti, faciatve obliviam nobis:  
Is, qui stelliferi tabulata micantia Cœli  
temperat, atque æquō regit & tegit omnia nutu,  
det Pylios æquare dies, det cuncta secunda,  
ex votis faciat quin vobis cedere quævis!  
Quid majus poteritve dari, poteritve rogari?

Finis



Finis adest propior, mea Pieri, contrahe carmen,  
extremumque Vale Patrio suspende Lycéo!

Nunc *Præceptores* addo, quorum indiga ductu  
in tantos potuit cunctorum exerescere Musa  
ausûs, ut Salicas jam-nunc tendamus Athenas,  
Te, *Seifarte*, loquor, mentis quem fama sequestrat  
ob pulcras sapientis opes à plebe, suoque  
invergit templo formosis gloria plaustris,  
Isfiadum nutrix, Francorum parma, *Coburgum*  
cui dedit egregias Superintendententis habenas;  
me, cum truncus eram ficulnus, inutile lignum,  
artibus ingenuis formasti, *Epicharmus* ut alter.  
quid dabo pro tantis tantillus, quidve reponam?  
en gratò gratas depromo pectore grates!  
in venis dum sanguis erit, dum spiritus artûs  
hos reget, ac convexa polus dum sidera pascet,  
semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

Ordine felici sequeris, spectate *Magister*  
*Christifer Hempeli*, quem docta peritia Lingvæ  
Grajugenûm celebrat, qui Con-Rectoris obibas  
munus, onus potius dum Fata DEUSque finebant,  
hac ipsa cathedrâ, dii post semina Verbi  
*Luccanò* nec-non *Meuselwitiense* sub agrò  
spargebas, sed nunc fulges novus incola Cæli;  
porrige & huic meritas, mea Musula, porrige grates  
atque precare umbris tenuem & sine pondere terram.  
Spirantesque crocos, & in urnâ perpetuum Ver!

Fines adest propior, mea Pieri, contrahe carmen,  
extremumque Vale Patrio suspende Lycéo!  
Nec vos indictos linquam, Clarissime *Rektor*,  
præstantesque Viri, quibus æmula turba novenæ  
gentis in obsequio jussum famulatur in omne,  
& sese ad nutûs despondet gloria vivax:  
proh! quantum est, quod cum lucos ignotus adirem  
hos ego Thespiadum, non parci plena favoris  
argumenta mihi subito ostendistis, & omnes  
in me sinceri rivos haud paupere amoris  
ivistis fluxu deductum, & perpete eosdem

V. Præcepto-  
res.

Dn. D. Tob.  
Seifartum,  
Superint. Ge-  
ner. Coburgi.

Dn. M. Chris-  
toph. Hem-  
pel, Pastorem  
Meuselwiti-  
ensem.



continuâstis ope ingenui testamine apertô!  
Ergo, quæ vobis nunc hostimenta reponam,  
ut sibi perpetua servet Charis ista tabellâ?  
Fama, decus, divina salus, fortunaqve felix  
dulce pedisequium vos concomitentur in omnes  
nisûs, inqve ævum vestræ durabile vitæ,  
prosperitas etiam vobis sua dona coronet!

*Dn. Georg. Crausere, ò Latix vindex, & tutor Achivæ  
Crauserum, Lingvæ, Musivum callens infundere nectar,  
Rectorem, & facili Sophies methodô referare recessûs;  
Sospes ova, Crausere, diu, latusqve per omnes  
secli decursûs flore, fausteqve perenna!  
salva sit innumeros castissima Costa per annos:  
salvus Filiolus, qui, sicut littora propter  
myrtus succrescit, vel laurus in æthera surgit,  
sic quoque succrescat, sic duret perpete flore!*

*Dn. M. Michæ-  
æl. Flösfere,  
rum, Con-  
Rect.* *Faustus item Flösfere vige! sanusqve viresce;  
sospes tota Domus, charâ cum Compare proles!  
Niedlingi, invidiæ minus experiaris iniquæ;  
longævum saturis sed Te DEUS expleat annis,  
& semper-clemens salvâ tueatur Hygeiâ!*

*Dn. Joh.  
Niedlingium,  
Collegam III.  
Dn. Michaël.  
Sigelium,  
Phœasium.* *Candide, Cantores inter memorande peritos,  
Sigeli, Angelicis serò adnumerêre catervis!  
Döbeli, nunquam sis debilis, undiqve verum  
stes firmus fortisqve! Ratum sic nominis omen.*

*Dn. Chri-  
stoph. Döbeli-  
um, Colle-  
gam V.  
VI. Commi-  
lites.* *Finis adest propior, mea Pieri, contrahe carmen,  
extremumqve Vale Patrio suspende Lycéo!*

*Ultima ades juvenum studiosa caterva; sed ipso  
ultima non animi adfectu; cata pignora Phœbi:  
ergone vos linquam, nunc hinc discedere tentem?  
corpore vos linquo, fidô sed pectore servo,  
Virtutis flores extendite fortiter, omnes  
vincentes fortis casûs fremitûsqve minacis;  
dum ver luxuriat vitæ, dum viva cerebri  
spirat adhuc florem vis nobiliore calore,  
gnaviter attentate, olim meminisse juvabit!  
Vos DEUS omnituens bonitatis prosperet auctu,  
quæ via sit vitæ, quæ sit cynosura laborum,*

com<sup>e</sup>



commodus & studiis Zephyrus faultricibus auris,  
ulterius doceat, sanam cum corpore mentem  
praestet, Fortunae dirisque tonitrua plagis  
grandia profubigat! sed fiet, & audiet istos  
oratus facilis magnis successibus, omnes  
qui castè orantes audit, justoque secundum  
dispensat meritum cunctis condigna tenore.  
Antè lupos hœdi rapiant, vitulique leones,  
delphini pisces fugient, aquilave columbas,  
& conversa retrò rerum discordia gliscet:  
dulcia amara prius fient, ac mollia dura,  
candida nigra oculi cernent, & dextera læva,  
nostrò quam vester labatur pectore vultus.

Finis adest propior, mea Pieri, contrahe carmen,  
extremumque Vale Patrio suspende Lycéo!

*Conclusio.*

Sed sileo tandem. Contractius omnia dicam,  
& quod jam res est, claudat votiva coronis:  
Te nos obryzò longè pretiosior aurò  
Te nos, PAX, petimus! redde, ô Dea, secula Mundo  
aurea, & in Bellum gere tu tua bella cruentum!  
Et vos, ô Proceres, Romani robora regni,  
jungite pacatas æternò glutinè dextras;  
projicite unanimes, in vos quæ sumitis, arma:  
hoc Patria exposcit, vestrò ne schismate discat  
extremæ tandem Scythiæ juga ferre molesta!  
Vive Parens Patriæ, Dux Illustrissime, vive!  
Curia sit curæ DOMINO, sit libera curis:  
Sint Mæcenates quovis ex asse beati!  
Musæi fidus plusquam mirabile cœli,  
Reinesius, vivat, Critici tutamen Olympi!  
Reuckius incolumis sit, Grunerusque vire scat!  
Grauliades felix ex voto transigat ævum!  
Vive Pater! vivant, lectissima corcula, Fratres!  
Adfines vigeant, Præceptoresque supersint!  
Omnia sint Pyladi, sint omnia salva Lycéo!

Nil loquor ulterius. Benè cuncti & cuncta Favete!  
Nil loquor ulterius Benè cuncti & cuncta Valet!

Cecini.

D 3

AP-





APPLAUSUS  
Ad Patriæ Encomiaſten,  
ISRAELEM CLAUDERUM.

---

ISRAEL CLAUDERUS  
*καὶ ἀνέγε,*  
CLARUS ERIS LAUDE.

**P**erdus & pernox Scholicæ, CLAUDERE, Pa-  
læſtræ

*Dum Sectator eras, præmia quanta feres?*

*Perdus & pernox Salani postmodò Phœbi*

*Si Sectator eris, præmia quanta feres!*

LAUDE ERIS & Lauri cata Pectora, Tempora

CLARUS;

CLARUS LAUDE Hominum, cœlite LAUDE ma-  
gis!

*Jenam abiturienti suo Adfini dilectissimo  
hanc suæ εὐνοίας tesferam comitem  
esse voluit*

M. Michael Crellius, Ecclesiastes

Altenb. 4. Nov. 1647.

---

**O**Mnia puncta meres Claudere, corona Ca-  
mœnæ,  
cum Patriæ laudes concinis ore piô.

*Arje-*



*Arjetis haud solvis mercedem more cuculi,  
Splendida qui fædô stercore facta linit.  
Digna brabéa feres: te Dux fovet, ipse Senatus  
& favet, & studiis præmia larga parat.  
Excipiet reducem gremiô te Patria molli,  
Quam Solida, exopto, mulceat usq; quies.  
Esto pius, sectare Patrem, tua retia pande,  
ut capias, vegetâ quæ bona mente cupis.  
Sic tua te virtus clarabit, præstite Jovab;  
Sic dulcis Patriæ nobile sidus eris!*

*Georgius Crauserus, Fr. Scholæ  
Altenb. p. t. Reëtor.*

---

**E***Micat ingenii tua vis Claudere ca-  
nendo,  
Quid Palæopyrgum terra paterna  
siet.*

*Multis & Doctis patriæ est incognita certè  
Dulcedo, secum quam reputare solent.  
Id quoq; tu cernis, qui vix tot laudibus ornas  
Fam natale solum, quot tamen ipse cupis.  
Saltem te sentis mirâ dulcedine duci,  
Quæ te perpetuò patria rura monet.*

**M. Michael Flösfer Schol.  
Alt. p. t. ConR.**

*Epi.*



*Epigramma allusivum*  
ad *Insignia* urbis *Altenburgicæ* pro  
supplemento *Pagellæ*.



**C**laruit à longis *Urbs Altenburgiæ* *Seclis*  
*Elogiisq; suis, Delitiisq; suis.*  
*Elogiis: FIDEL in Dominos intelligo laudem,*  
*Hanc ut in Insigni DEXTRA resecta notat.*  
*Delitiis: largum proventum intelligo frugum,*  
*Fœcundas potuit quæis superare ROSAS.*  
*Claret adhuc præsentis Urbs Altenburgica seclis*  
*Elogiisq; suis, Delitiisq; suis.*  
*Elogiis: Patrios multi amisere Dynastas:*  
*Urbs fovet at Patrios hæc retinetq; Duces.*  
*Delitiis: cernas vastari ense Oppida & igni:*  
*Ceu ROSA pro multis urbibus hæcce viget.*  
*Clarebit seclis Urbs Altenburga futuris*  
*Atq; DEO atq; Duci sit modò FIDA suo.*  
*Fida DEO fuerit prisorum imitamine morum:*  
*Fida DUCI, ore colens obsequiisq; DUCEM,*  
*Clareat ad seros Urbs Altenburga Nepotes*  
*Elogiisq; suis, Delitiisq; suis!*

*Superadjectum à*

M. M. C.



Q. N. 122, 32.

LAUDATI  
 IN  
**ALTENBURGO**  
 URBEM MISNIAE CLASSE  
 AFFECTATA TAMEN MAGIS,  
 CUI AD NATIVITATEM  
**GRATIA**  
 MAECENATIBUS PRAECIPUE  
 MORE MAJORUM PER  
 CONTEXUIT  
**PAEDAGOGIOQUE PATRI**  
 SALANUM ADITURUS  
 A. D. V. M. I X B I  
 A. O. R.  
 cl<sup>o</sup> Is ciii  
 PUBLICITUS DECANUS  
**ISRAEL CLAU**  
 ALTENBURGO - MISNIAE  
 EJUSDEM HACTENUS A

